

nos, a studio paupertatis, ostenditque, *Mauricius* Imperatorem ejus lecto ligneo, stragulo, & penulæ maximum honorem detulisse. *Sophronius* Patriarcha Hierosolymitanus apud Photium in Bibliotheca Cod. ccxxx. appellat Joannem Jejunatorem, *virtutis domicilium*. Colitur etiam a Græcis *Joannes Jejunator* die II. mensis Septembris, ut videre est in eorum Menologiis, & Synaxariis. At paulo durius a Latinis idem *Joannes Jejunator* habitus est, eo solo nomine, quod a Sancto Gregorio Summo Pontifice, ob usurpationem Episcopi *universalis* titulum, reprehensus sit. Verum, id sanctitati *Joannis*, dicti *Jejunatoris*, officere non debere, agnovit ipsemet Sanctus Gregorius Papa, quippe qui prædictum Joannem jam defunctum appellat *Sanctissimum* in Epistola LXIV. lib. 5. doctissimus etiam P. *Thomassinus* lib. 1. de *Vetere, & nova Ecclesie Disciplina* ostendit, qua ratione possit ex Sanctorum Patrum Regulis Joannis Jejunatoris fama conciliari cum iis, quæ aculeatissime in eum a Sancto Gregorio Papa dicta sunt. De doctrina *Joannis Jejunatoris*, & de libris ab ipso editis, in proximo nostro Colloquio, quod erit de *Viris Illustribus*, opportunitus differemus. Sufficiat hic observare, Joannem Jejunatorem sedisse annos undecim, menses quinque, & ad Deum migrasse anno DCCV. eique successisse *Cyriacum* Presbyterum, & Ecclesie Constantinopolitanæ *Æconomum*, cui Nicephorus in Chronico attribuit annos undecim. Quare *Cyriacus* Episcopus Constantinopolitanus, & Joannis Jejunatoris successor rexit Ecclesiam Constantinopolitanam, ab anno DCCV. usque ad annum DCVI. quo mortuus est. Sed de Episcopis, qui sexto sæculo præcipuas Ecclesie Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam tenuerunt, sat superque dictum sit.

COLLOQUIUM V.

De *Viris Illustribus*, qui sexto Ecclesie sæculo doctrina, & pietate claruerunt.

LEgi nuperrime in aureo, omnibusque numeris absoluto libro, quem edidit doctissimus *Melchior Canus* de locis Theologicis, neminem posse esse Theologum omni laude cumulatum, nisi in Sanctorum Patrum, Scriptorumve Ecclesiasticorum Operibus diu fuerit exercitatus, atque ex jugi eorum lectione promptum & expeditum sibi paraverit argumentandi usum. Quapropter, te etiam atque etiam rogo, ut sicut Sanctorum Patrum, Scriptorumve Ecclesiasticorum, qui in præcedentibus sæculis floruerunt, genuina jam indicasti Opera, eaque a spuris, vel dubiis accurate secrevisisti, ita nunc Opera Sanctorum Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, qui sextum Ecclesie sæculum sanctitate, & eruditione illustrarunt, percensere ne graveris, ut postea ingenium meum in eorum lectione acuere, excolere, atque pro meo modulo exercere possim.

M. Quamvis Scriptores, qui sexto Ecclesie sæculo tam in Occidente, quam in Oriente cla-

ruerunt, ea nominis celebritate contendere haud possint cum illis, qui in præcedentibus sæculis floruerunt; negari tamen non potest, eorum doctrina & pietate Ecclesiam plurimum fuisse illustratam. In primis, ut auspicemur ab his Scriptoribus, qui in Occidente floruerunt, quatuor potissimum insignes Galliarum Episcopi sanctitatis palmam litteris excolunt sexto Ecclesie sæculo tulerunt, *Avitus* Viennensis, *Remigius* Remensis, *Gregorius* Turonensis, & *Cesarius* Arelatensis, de quorum vita & scriptis breviter hic differemus.

Sanctus Avitus ex Illustrissima Profapia ortus, utpote *Aviti* Imperatoris nepos, & *Isicii* Senatoris, ac postea Viennensis Episcopi filius, & *Appollinaris* Valentini Episcopi frater, electus est post mortem patris sui *Isicii* Ecclesie Viennensis Episcopus, quam sanctissime rexit, totamque Galliam ab infestatione Arianae Hæreseos defendit. *Gundabodum* Burgundionum Regem Ariam ut ab Hæresi ad fidem Catholicam adduceret, Collationem in Burgundiam habuit cum Ariam anno quingentesimo primo, in qua convicti fuere Ariani, & ex illis plures ad veram fidem conversi; *Gundabodus* tamen Rex pervicax in errore perstitit, sed *Sigismundus* ejus filius Catholicam Fidem amplexus est. Hæc Collatio *Aviti* Episcopi Viennensis coram Rege *Gundabodo* adversus Arianos habita legitur tomo IV. Conciliorum pag. 1318. Colitur S. *Avitus* die v. mensis Februarii, ut videre est in Martyrologio Romano, ad quam diem *Henschenius* vitam S. *Aviti* recitat, quæ tamen, teste Cl. *Pagio* ad annum DCVI. num. V. cum tardius scripta fuerit, non magna ei fides adhiberi potest. Sancti *Aviti* Epistolæ, Homiliarum, & Opusculorum fragmenta, atque poemata luce publica donavit, & eruditus notis illustravit *Sirmondus*, quæ inserta sunt tomo IX. Bibliothecæ maximæ Patrum Lugdunensis.

„(a) Animadvertendum hic judico defuisse olim in Collectione *Sirmondi* epistolæ quatuor *Aviti*, quas *Baluzius* dedit in suis *Miscellaneis*, quamquam antea *Ferrandus* minus tamen correcte primus dederat. Ex *Sirmondo* Epistolæ *Aviti* transferunt in Bibliothecam PP. Lugduni anno 1677. vulgatam; ideoque & ibi quatuor istæ defunt. At in Collectione omnium Operum *Sirmondi*, quæ Parisiis prodit anno 1696. iterumque recusa est Venetiis anno 1740. quatuor istæ Epistolæ adjectæ sunt, additis fragmentis nonnullis *Aviti* de divinitate S. Spiritus.

Sanctus Remigius Episcopus Remensis, & Galliarum Apostolus nonnullas scripsit Epistolæ. De initio illius Episcopatus, & de anno ejus obitus constans non est Scriptorum opinio. Probabilius tamen *Henschenius* ad diem VI. Februarii in Vita Sancti *Vedasti* Episcopi Atrebatensis, qui eodem, quo *Remigius*, floruit tempore, initium Episcopatus *Remigii* illigat Anno ccccLXVII. illius vero mortem consignat anno DXXX. ex quo sequitur, *Remigium* septuaginta tres annos in Episcopatu explevisse, quod inuere videtur *Gregorius*

rius Turonensis, qui in lib. de *Gloria Confessorum* c. 79. ait, *Remigium septuaginta, aut eo amplius in Episcopatu annos transegisse*, *Remigius* non est auctor *Explanationum*, seu *Commentariorum in Epistolæ Pauli*, quia in his citatur *Beatus Benedictus*, *Sanctus Gregorius* Papa, & vita *Sancti Cesarii* Episcopi Arelatensis a Sancto *Cypriano* Tolonensi Episcopo post annum quingentesimum quadragesimum quartum elucubrata, quam *Vitam Remigii* Remensis Episcopus citare non potuit, quippe qui, ut mox observatum est, e vivis excessit anno quingentesimo tricesimo. Hinc *Labbeus* in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis hanc explanationem, seu Commentarium in Epistolæ Pauli fœtum esse suspicatur *Haymonis* Alberstatensis Episcopi. *Ufferius* vero in Historia *Gottescalchi*, & quidam alii, hunc Commentarium *Remigio* Lugdunensi Episcopo tribuunt. *Albertinus* tandem lib. de Sacram. Eucharistiæ pag. 886. & seq. illius Commentarii auctorem putat esse *Remigium* in Abbatia Sancti Germani Antisiodorensis Monachum, qui sub finem sæculi noni floruit, quique ad scholas instaurandas Remos evocatus est, ut scribit *Flodoardus* lib. 4. Hist. Ecclesie Remensis cap. 9. Hæc *Albertini* conjectura pluribus viris doctis probata est, de qua, sicut & de auctore illius Commentarii in Epistolæ Sancti Pauli legendus est doctissimus *Carolus Cointius* in Annalibus Francorum ad Annum DXXXII. num. XLIX. Testamento Sancti *Remigii* Episcopi Remensis meminit *Baronius* & ex eo aliqua loca recitat. Verum, *Baronii* ætate istud Sancti *Remigii* Testamentum extabat tantum in Historia *Flodoardi* cap. 18. variis auctum interpolationibus, quæ, cum a temporibus, & genio Sancti *Remigii* abhorreant, multis eruditus viris supposititium jure merito visum est. Tandem genuinum hujus Testamenti exemplar prodit in nova disquisitione de *Ampulla Remensi* in tom. 1. Bibliothecæ *Labbeæ*, & in Annalibus *Cointii* ad annum DXXXIII. num. 1. & seq. apparuitque vere, hoc Testamentum a Sancto *Remigio* conditum, eoque Ecclesiam Remensem, *Lupum* Episcopum Sueffionensem fratris sui filium, & *Agricolam* Presbyterum nepotem suum a Sancto *Remigio* Hæreses fuisse institutos. Vitam Sancti *Remigii* Episcopi Remensis legis apud *Hincmarum*, & *Flodoardum* 1. Hist. Ecclesie Remensis (a).

„(a) Inter recentiores de vita & scriptis S. *Remigii* diligenter disseruerunt doctissimi *Monachi* *Benedictini* Congregationis S. *Mauri* in historia literaria Gallicana tom. 3. a pag. 155. ad 163. quorum de testamento S. *Remigii* sententia plane illi minime favet; restanturque ex tribus ejus testamenti vulgatis formulis geminas priores abjiciendas absque cunctatione esse; quæ vero contractior est multa continere, quæ secundo S. *Remigii* non conveniunt, adeoque apud plerosque suspiciosam esse. De auctore commentarii in epistolæ S. Pauli idem judicant, ac *Gravefoni* hic, nempe adjudicandum esse opus istud *Remigio* Monacho S. Germani Altisiodorensis.

„ Hujus ergo S. *Remigii* nihil extat aliud, quam epistolæ quatuor in collectionibus Conciliorum legendæ.

„ Proderit tyronibus scire alium extitisse S. *Remigium* Archiepiscopum Lugdunensem opusculorum quorundam, de quibus suo loco, scriptorem, qui seculo IX. florebat.

Sanctus Gregorius Patria Arvernus, & nobili genere oriundus, Episcopus Turonensis consecratus est anno DXXXII. ad Deum migravit anno DCCIV. Scripsit decem libros *Historie*, sive *Annalium* Francorum, in quibus Historiam ab initio Mundi ad conditam usque Francorum Monarchiam brevissime perduxit. Dein, lato calamo Historiam ad annum usque quingentesimum nonagesimum primum profecutus est. Vulgata tamen hujus Operis exemplaria insigniter esse depravata, non modo conqueritur, sed infinitis exemplis probat sæpe laudatus *Carolus Cointius* tom. 1. *Annalium* Francorum. Extant adhuc alii libri editi a Sancto *Gregorio* Turonensi Episcopo, videlicet *Epitome de rebus gestis Francorum*. Liber de *Vitis Patrum*. Libri *Miraculorum VII.* hoc est, IV. Libri de *Viribus & Miraculis Sancti Martini*. De *Gloria Martyrum libri duo*. De *Gloria Confessorum liber unus*. Præterea, duos libros composuit *Gregorius* Turonensis, qui injuria temporum perierunt, scilicet librum de *Cursibus Ecclesiasticis*, & *Commentarium in Psalmos*, cujus bina fragmenta exhibet doctissimus *Mabillonius* tom. 1. *Analect.* pag. 7. Denique, observant periti Critici, hallucinari nonnullos, qui librum de *Septem Dormientibus* in Monasterio prope Turonos quiescentibus, *Gregorio* Turonensi adscribunt, eo quod *Gregorius* Turonensis prædictum librum *Sulpicio* Bituricensi Episcopo dedicavit, & sub *Gregorii* Turonensis nomine, editores hunc librum publicaverint. At dubium non est, quin in hoc fallantur. Nam præterquamquod hujus libri de *Septem Dormientibus* nullatenus meminit *Sanctus Gregorius* Turonensis in Epitome Historiæ suæ, ubi omnes libros a se editos recenset, affirmat insuper idem S. Pater in Præfatione, se hunc librum de *Septem Dormientibus* repertum in Archivo Majori prope Turonos, dignum judicasse, qui publicam in lucem ederetur. Hic igitur liber de *Septem Dormientibus* non est genuinus S. *Gregorii* Turonensis fœtus (a).

„(a) Historia Francorum S. *Gregorii* Turonensis, quæ paruit in novissima editione curata a P. *Ruinart* *Benedictino*, nihil passa est interpolationis. Quæ enim contra eandem opposita olim sunt a *Cointio*, vindicata sunt egregie a *Ruinart*, adeo ut nihil in illum suspitionis remaneat iudicibus Historiæ Literariæ Gallicanæ scriptoribus. Fateamur tamen oportet Turonensem bis in sua historia infudasse, semel quidem prioribus sex libris evulgatis & in obitum *Chilperigi* Regis absolutis. Iterum vero quatuor postremis libris auctiorem dedit ad obitum usque *Conradi* Regis perductam. Codices plures MSS. priorem tantummodo continent; in aliis vero totum opus absolutum continetur. „ Inter

Inter opera sincera S. Gregorii recensent etiam
 „ Authores illi libellum de miraculis S. Andreae,
 „ qui sub ejus nomine exhibetur in MS. Codice
 „ S. Germani Pratenfis ante sexcentos annos
 „ scriptus. Ejus præfationem adjectis duobus ca-
 „ pitulis additisque titulis omnium ceterorum ca-
 „ pitulorum, quæ ad 35. pertingunt, dedit P.
 „ Ruinart. In eo opere elucere ubique sty-
 „ lum & genium Turonenfis idem Ruinartius
 „ testatur.

Sanctus Casarius Arelatenfis Episcopus ordi-
 natus fuit anno quingentesimo secundo, & post-
 quam per 40. annos Arelatenfi Ecclesiæ sanctif-
 sime præfuisse, mortuus est anno DLXII. Cœno-
 bium sanctimonialium, Arelate, pro sorore sua
 Casaria ædificavit, quod etiamnum vetustate ven-
 erandum, & Monialium, quæ in eo Virginita-
 tem suam Deo vovent, nobilitate illustratum
 subsistit. Sanctus Casarius doctrinæ Sancti Au-
 gustini invictissimus assertor Semipelagianorum
 errores strenue oppugnavit, variaque Opuscula &
 Homilias composuit cum duabus Regulis, quarum
 unam, quæ spectat ad Moniales, ipse scripsit; al-
 teram, quæ pertinet ad Monachos, Teridius Pres-
 byter ipse Casarii nepos ab eo dictatam, &
 per diversa Monasteria fuisse transmissam, affir-
 mat. Vitam Sancti Casarii duobus libris descri-
 ptam sæculo 1. Benedictino inseruit doctissimus
 Pater Mabillonius. Prioris auctor est S. Cypri-
 anus Episcopus Tolonenfis; Posterioris, Messianus
 Presbyter, & Stephanus Diaconus. Dedicata est
 Sancti Casarii Vita Casaria, non quidem senio-
 ri, quæ Sancti Casarii soror erat, eoque adhuc
 superstitite decessit; sed Casariae juniori, quæ
 alteri in Abbatiam Monasterii Arelatenfis succes-
 sit (a).

„ (a) PP. Martene & Durand Anecd. tom.
 „ 1. pagin. 3. Casariae hujus Junioris prolixio-
 „ rem epistolam ad Richildem & S. Radegundem
 „ sanctimoniales dederunt piam oppido & luce
 „ dignissimam. In ea enim religiosa monita sug-
 „ gerit, ac præsertim ut secularium consuetudi-
 „ nes evitent ac ciborum nimietatem, ita tamen
 „ ut & immodicam ab alimoniis abstinentiam
 „ prudenti moderatione temperent. Demum ad
 „ eas transmittit regulam, Quam nobis, ait, bea-
 „ ta & sanctæ recordationis Dominus Papa Casar-
 „ rius fecit. In nota vero ad infimam pagellæ
 „ oram animadvertunt Anecdoti hujus editores,
 „ vidisse se hujus regulæ MS. Cod. Augustodu-
 „ nensem, in cujus fine hæc legerunt, quæ in
 „ edita ab Holstenio regula non extant: Ce-
 „ sarius peccator Regulam hanc Sanctarum Virgi-
 „ num rexit & scripsit sub die x. Kalend. Julii.
 „ Paulino Consule tempore (Christi 534.)

„ Simplicius peccator consensi & signavi.
 „ Severus Episcopus consensi & signavi.
 „ Lupercianus Episcopus consensi & signavi.
 „ Jobannes consensi & signavi.
 „ Cyprianus Episcopus consensi & signavi.
 „ Montanus consensi & signavi.
 „ Ferminus peccator consensi & signavi.
 „ Ne cogar novam adnotationem hic addere,

monendos lectores censeo epistolam Evantii, de
 „ qua hic, alterius esse auctoris ab Evantio Vien-
 „ nensi, tribuendamque alteri Evantio Abbati
 „ Monasterii cujusdam in Diocesi Albigenfi,
 „ qui seculo VII. florebat, Mabillonius in a-
 „ ctis SS. Ord. S. Benedicti tom. 2. judicat.

His quatuor Galliarum Episcopis doctrina &
 dignitate inlytis merito adjungere possum S. Sul-
 picium Bituricensis Episcopum, qui virtutibus
 & eruditione conspicuus, ut legitur in Martyro-
 logio Romano ad IV. Kalend. Februarias, ex-
 cessit e vivis anno quingentesimo nonagesimo pri-
 mo; Ruricius seniore Episcopum Lemovicen-
 sem, cujus Epistolarum ad varios scriptarum
 libros duos publici juris fecit Henricus Canisius
 tom. v. antiq. lect. qui etiam inserti sunt tom. 8.
 VIII. Bibliothecæ maximæ Patrum Lugdunensis;
 Evantium Viennensem Episcopum, qui interfuit
 Concilio Matifconensi I. Lugdunensi III. Valen-
 tino II. & Matifconensi II. ediditque Epistolam
 contra eos, qui sanguinem animalium immundum
 esse judicant, & carnem mundam esse di-
 cunt, apud Canisium antiq. lect. tom. 5. part. 2.
 Venantium Fortunatum, qui relicta Italia, unde-
 oriundus erat, in Galliam profectus est, ut Reli-
 quas Sancti Martini Turonenfis Episcopi, cujus
 ope gravissimis oculorum doloribus fuerat libera-
 tus, in Urbe Turonenfi depositas inviseret. Inde
 in Urbem Pictavensem se contulit, ubi Presbyte-
 ratus honorem meruit, ac tandem ejusdem Ur-
 bis Episcopus ordinatus est. Scripsit Poematum
 libros XI. quos Sancto Gregorio Turonenfi nuncu-
 pavit. Edidit etiam libros quatuor de Vita San-
 cti Martini, & Vitas aliquot Sanctorum Galliæ
 Episcoporum. Vitam Venantii Fortunari scripsit
 P. Browerus Soc. Jesu, quam illius Operibus præ-
 fixit. Demum, inter Scriptores, qui sexto Eccle-
 siæ sæculo doctrina & pietate in Gallis clare-
 runt, recensetur Sanctus Gildas Abbas Monaste-
 rii Ruyensis, in Diocesi Venetenfi, cognomento
 Sapiens, cujus extant Opera to. VIII. Bibliothecæ
 maximæ Patrum Editionis Lugdunensis. Sunt
 qui distinguunt eundem Gildam in duos, quorum
 unus Badonicus, alter Albanus dictus fuerit, sed
 eos, qui ita sentiunt, a vero abluere ostendunt
 Bollandus ad diem XXIX. mensis Januarii, &
 Mabillonius sæculo I. Benedictino, ubi Sancti Gil-
 dæ vitam refert. Natus erat S. Gildas in ma-
 gnâ Britannia, sed in Armonicam, seu in mino-
 rem Britanniam postea secessit, ubi Cœnobium
 Ruyense extruxit, quod nunc gallice nuncupatur:
 Sainct Gildas de Ruy.

D. Cedo, si placet, alios Scriptores Ecclesiasticos,
 qui sexto nominis Christiani sæculo in aliis
 Orbis partibus floruerunt?

M. Plurimi Scriptores sexto Ecclesiæ sæculo
 celebres fuerunt in Africa, Hispania, & Italia.
 Inter Scriptores Africanos primas tenet Sanctus
 Fulgentius Ruspensis Episcopus in Scriptura Sa-
 cra, & in doctrina SS. Patrum, præcipue S. Au-
 gustini, versatissimus. Decem libros pro defen-
 sione Gratia Christi lucubravit, quorum septem ad-
 versus libros a Fausto Rejenfi Episcopo Semipela-
 giano

giano editos, composuit, & universa, quæ hic
 Semipelagianorum Coriphæus contra doctrinam S.
 Augustini scripturierat, omni argumentorum ge-
 nere funditus subvertit. Reliquos tres libros ad
 Fausti Sectatores expugnandos Monachis Scythis
 acerrimis gratia defensoribus inscripsit. Libri se-
 ptem, quos Fulgentius edidit contra Faustum,
 perierunt; eos tamen se legisse testatur S. Isido-
 rus Archiepiscopus Hispalensis in lib. de Illustri-
 bus Scriptoribus. Tres alios libros de veritate præ-
 destinationis & gratia inscripsit edidit Fulgentius,
 sicut testatur auctor vitæ ejus cap. 29. Præterea,
 a Monimo viro laico, sibi que amicissimo, ad scri-
 bendum de divina prædestinatione iterum compul-
 sus, tres libros procudit Fulgentius, in quibus
 eum in scopum collimat, ut ostendat, Deum præ-
 destinare homines ad bona, non ad mala pepe-
 tranda, Sanctumque Augustinum intellexisse Dei
 prædestinationem ad malum pœnæ, non ad ma-
 lum culpæ. Hos tres libros ad Eugippum Abba-
 tem Augustinianæ doctrinæ per Italiam propaga-
 torem transmisit Fulgentius. Præter illos recensito-
 ros libros, quos pro defensione gratia Christi jux-
 ta mentem Sancti Augustini exaravit Sanctus
 ille Doctor, alii adhuc extant ab illo concinna-
 ti, videlicet adversus Arianos liber. Ad Donatum
 liber de Fide Orthodoxa ex diversis erroribus He-
 reticorum. Ad Petrum Diaconum de Fide liber.
 Adversus Trasamundum Regem libri tres. Pro Fi-
 de Catholica adversus Pintam Arianum liber, a
 Chiffetio primum editus. De quinque Questioni-
 bus ad Ferrandum liber. Variæ Epistolæ Morales
 & dogmaticæ. Plura de Sancti Fulgentii libris
 legi possunt apud Labbeum in Dissertatione de
 Scriptoribus Ecclesiasticis. Sanctum Fulgentium
 omnia Latinorum Martyrologia memorant, ejus-
 que vitam gravi stylo quidam ejus Discipulus
 scripsit, quam exhibet Bollandus ad diem primam
 mensis Januarii. Inter Sancti Fulgentii Discipu-
 los eminebat Fulgentius Ferrandus Carthaginensis
 Ecclesiæ Diaconus, qui vixit usque ad annum
 DLVIII. de quo plura habet Facundus Hermia-
 nensis in Africa Episcopus lib. 4. cap. 3. pro de-
 fensione trium Capitulorum. Hujus Ferrandi om-
 nia Opera Petrus Franciscus Chiffetius publica-
 vit Divisione in Gallis anno MDCXLIX. Facundus
 mox a me laudatus, Hermianensis in Africa E-
 piscopus, doctissimus quidem fuit, sed in defen-
 sione trium Capitulorum adeo pertinax, ut in
 Schismate occubuerit, sicut facile colligitur ex il-
 lius Epistola Fidei Catholice in defensionem trium
 Capitulorum, quam publica luce primus donavit
 Lucas Dacherius Benedictinus Congregationis San-
 cti Mauri tomo III. Spicilegii. Duodecim etiam
 libros scripsit idem Facundus pro defensione trium
 Capitulorum, quodque gravius est, in ipsummet Vi-
 gilium Papam, qui tria Capitula damnavit, adeo
 acriter investus est, ut illum prodicionis, collusio-
 nis cum Acephalis, ambitionis & venalitatatis argue-
 rit, ut videre est præsertim in libro, quem edidit
 contra Mocianum, qui Africanos Antistes merito
 redarguebat, quod lese a Vigilio Papa, & ab Ec-
 clesia, trium Capitulorum causa, segregarent.
 In eadem trium Capitulorum defensione perstitit

Liberatus Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, qui
 libellum scripsit de Hæresi Nestoriana, cui Bre-
 viarii titulum indidit, quod emendatissimum edi-
 dit, notisque elegantissimis illustravit eruditus P.
 Garnerius Soc. Jesu. Pro defensione itidem trium
 Capitulorum Victor Tuunenensis in Africa Episco-
 pus plurimas ac gravissimas ærumnas pertulit, &
 ab Imperatore Justiniano variis exiliis afflictus
 est. Scripsit hic Victor Chronicon rerum gesta-
 rum ab orbe condito usque ad annum DLXVI. quo
 Justinus Junior Imperium auspicatus est. Sed hu-
 jus Chronici prima pars interit, superest tantum
 posterior, quæ ab anno ccccXLIV. quo defuit Pro-
 sper, orditur; & ad annum DLXVI. progreditur.
 (a) Denique inter Afros Episcopos, qui sexto
 sæculo floruerunt, numerantur Vigilius Tapfensis
 in Bizacena Africæ Provincia Episcopus, qui li-
 bros quinque contra Nestorianam, & Eutyrianam
 Hæresim edidit, insuper, Disputationem cum Sa-
 bellio, Photino, & Ario, sub nomine Sancti Atha-
 nasiai, & undecim libros de Trinitate, eidem San-
 cto Athanasio perperam adscriptos. Multi eruditi
 viri existimant, hunc Vigilium Tapfensem esse au-
 ctorem Symboli, quod sic incipit: Quicumque vult
 salvus esse &c. quod vulgo attribuitur Sancto A-
 thanasio; Primasius Adrumetinae Ecclesiæ in
 Bizacena Africæ Provincia Episcopus, qui li-
 bros quinque Expositionum in Apocalypsim, com-
 mentarios in Epistolas Sancti Pauli scripsit, & li-
 brum unum sic inscriptum: Quid faciat hereticum?
 Primasius coævus fuit Junilius Africanus E-
 piscopus, qui libros duos per modum Quæstio-
 num & Responsonum de partibus divinae Legis
 ad ipsum Primasium scripsit. Hic Junilius non
 est auctor Commentarioli in tria priora Capita
 Geneleos, sed potius Venerabilis Beda, ut modo
 convenit inter viros eruditos, Eugippus Abbas A-
 fricanus thesaurus sententiarum ex diversis S.
 Augustini Operibus defloratarum collegit, eumque
 duos in libros distributum nuncupavit Proba Vir-
 gini Sacra. Hi sunt celeberrimos Scriptores, qui in
 Africa præfulserunt.

„ (a) Inter opera, quæ extant, Victoris Tu-
 „ nensis adjiciendus est liber de Pœnitentia pu-
 „ blici juris factus a PP. Maurinis in ap-
 „ pend. ad tomum secundum ad opera Sancti
 „ Ambrosii.

D. Quinam sunt illustriores Scriptores, qui sex-
 to sæculo in Hispania floruerunt?

M. Multos in Hispania egregios Scriptores re-
 censet S. Isidorus Hispalensis Episcopus in lib.
 de Scriptoribus Ecclesiasticis, quos hic breviter
 indicabo. Agmen illorum ducet Orentius gen-
 te Hispanus, patria Tarraconensis, Episcopus
 Eliberitanus, qui Synodo Tarraconensi anno
 DXXVI. adfuit, scripsitque Commonitorium Fidelium
 metro heroico, cujus mentionem facit Siebertus
 in Catalogo cap. 34. (a) Justinianus Ecclesiæ
 Valentinae Episcopus librum edidit Responsonum
 ad quemdam Rusticum de interrogatis Questioni-
 bus quinque, ut videre est apud Isidorum cap. 20.
 lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Justus Justinia-
 ni frater, Urgellensis, sive Orgellitanus in Ca-
 talaunia Episcopus interfuit Concilio Toletano
 secun-

secundo celebrato anno DXXXI. scripsit expositionem mysticam in Cantica Canticorum, cujus meminit Isidorus cap. 21. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Duas præterea ejusdem *Justi* Epistolas divulgavit *Lucas Dacherius* tom. 3. Spicilegii, *Aprigius* Ecclesiæ Pacensis in Hispania Episcopus, vir fuit lingua disertus, & scientia eruditus. Scripsit *Explicationem Apocalypseos B. Joannis*, sed illud Opus interiit. Alia quædam Opera, teste Isidoro cap. 17. lib. de Script. Eccles. edidit idem *Aprigius*, quorum nec nomina quidem supersunt. *Leander*, post diurnam vitæ Monasticæ professionem Hispaniæ Ecclesiæ Archiepiscopus factus, vir fuit, teste Isidoro ejus fratre cap. 28. lib. de Script. Eccles. suavis eloquio, ingenio præstantissimus, & vita non minus quam doctrina clarissimus. Scripsit ad *Florentiam* tororem suam, *Regulam de Institutione Virginum & contemptu Mundi*, quam primus in lucem edidit *Lucas Holstenius* in Collectione Regularum Parisiis Anno MDCLXIII. Extat ejusdem *Leandri* Homilia, quam ipse in laudem Ecclesiæ, ob conversionem Gothorum, habuit post finitam Synodum Toletanam III. cujus magna pars ipse fuit, & orthodoxam fidem, extinctam in Hispaniis Ariana Hæresi, totius Gentis Gothicæ confessione confirmari fecit, adeo ut Gothorum Apostolus jure merito audiat. Tanti *Leandrum* Hispanensem Episcopum fecit *Sanctus Gregorius M. Papa*, ut ipsi libros suos *Moralium* in *Job* nuncupaverit. Alia *Leandri* adversus Arianam Hæresim Opuscula, plures Homilias, multaque ad Officia Ecclesiastici incrementum & decorem spectantia refert *Sanctus Isidorus* cap. 28. lib. de Script. Eccles. Zelum *Sancti Leandri* in profliganda Ariana Hæresi in Hispania, imitati sunt *Licinianus*, *Severus* & *Joannes* dictus *Biclarie*. Prior, seu *Licinianus* Carthaginensis Spartariæ in Hispania Episcopus, cujus meminit *Sanctus Isidorus* cap. 29. lib. de Script. Eccles. ob Fidei Catholicæ studium a *Leovigildo* Hispaniæ Rege in exilium missus obiit Constantinopoli, scripsitque nonnullas Epistolas, quarum unica dumtaxat extat ad *Gregorium Magnum* Papam data. Alter seu *Severus* Malacitanus in Hispania Episcopus, de quo agit *Isidorus* cap. 30. lib. de Script. Eccles. ob fidem itidem Catholicam a *Leovigildo* Rege, exilio mulctatus est, scripsitque librum adversus *Vincentium Cæsaraugustanum* Episcopum, qui a Catholicis ad Arianorum castra transierat: composuit etiam alium librum de *Virginitate*, cui *Annuli* nomen dedit. Utrumque Opus periit, vel in Bibliothecarum angulis delitescit. Tertius, seu *Joannes* dictus *Biclarie*, cum Ariana Hæresi, quæ in Hispania id ætatis latissime grassabatur, nullo pacto consentire vellet, a *Leovigildo* Rege Arianorum *Barcinonem* relegatus est, ubi integro decennio multas ab Arianis insidias & persecuciones invicta animi constantia passus est. Postea, Monasterium *Biclarie* ad *Pirenei* montis radices extruxit, ex quo eductus est, ut Episcopus *Gerundensis* consecraretur. Scripsit *Joan-*

nes *Biclarie* *Chronicon* ab anno DLXVI. quo *Victor Tununensis* desit usque ad annum DXC. Composuit etiam *Joannes Biclarie* *Regulam* in sui Monasterii usum, atque nonnulla alia Opera, ut refert *Isidorus* cap. 21. lib. de Script. Eccles. ubi *Joannis Biclarie* cum laude meminit. Sed de Scriptoribus, qui sexto Ecclesiæ sæculo doctrina & pietate conspicui in Hispania flourerunt, satis dictum sit.

„ (a) De S. Orentio plura modo scimus (de „ illo loquar qui *Commonitorium Fidelium* dedit). „ Num vero idem sit *Orentius Eliberitanus* Episcopus, qui Synodo *Tarraconensi* interfuit anno „ 516. ambiguum est, nunquam enim se Episcopus „ sive in titulo, sive in operis decurru appellat. „ Integrum ejus opus, cum antea liber „ tantummodo primus prodisset, divulgavit *P. Martene* „ primo quidem anno 1700. iterum vero „ cum castigacionibus & notis in tom. V. *Anecdot.* „ an. 1717. In utraque editione edita sunt „ etiam alia ejusdem Auctoris carmina.

D. Habuitne Italia in sexto Ecclesiæ sæculo Scriptorum, qui sanctitate & eruditione conferri possint cum illis *Viris illustribus*, quos jam in medium protulisti?

M. Habuit Italia in sexto Ecclesiæ sæculo præclarissimos Scriptorum, qui doctrinæ & pietatis fama illis Auctoribus, quos jam memoravi, aut æquales aut superiores fuerunt: *Ennodius* Episcopus *Ticinensis*, *Boetius*, *Cassiodorus*, *Victor* Capuanus Episcopus, *Rusticus*, *Dacius* *Mediolanensis* Episcopus, *Agnellus* *Ravennatensis* Episcopus, *Arator*, *Paschasius*, *Dionysius Exiguus* & *S. Gregorius Magnus* Pontifex *Maximus*, quorum Opera hic breviter assignabo.

Ennodius Episcopus *Ticinensis*, quem ut *Sanctum* Confessorem laudant *Summi Pontifices* *Nicolaus I.* in Epistola ad *Michaelem* Imperatorem, *Joannes VIII.* in Epistolam ad *Berobarium* Abbatem, & *Gregorius VII.* in *Dictato*, si tamen hujus *Dictatus* ille sit auctor; gemina Legatione ad *Anastasium Augustum* functus est, & *Symmachi* decessoris *Hormisdæ* causam egregie peroravit, ac propugnavit. Mortuus est anno DXXXI. ejusque variarum Epistolarum libros novem, necnon Opuscula in lucem edidit, atque eruditus *Notis* illustravit *Sirmondus*, suntque inserta tom. IX. *Bibliothecæ* maximæ *Patrum Editionis Lugdunensis*.

Boetius ex illustrissima *Romæ* familia ortus, vir fuit doctissimus, juxta ac religiosissimus. Tempore *Anastasi* Imperatoris, & *Theodorici Gothorum* Regis, qui tum temporis *Italiæ* dominabatur, claruit. Verum, illius Regis Ariani inimicitias expertus, *Ticinum* in exilium abductus est, ubi inter diurni carceris tædia & squallores, præter aliquot Opuscula Philosophica, libros quinque edidit de *Consolatione Philosophiæ*, & librum de *Trinitate*, quem *Doctor Angelicus S. Thomas* Commentariis illustravit. Crescentibus postea cum tyrannide *Theodorici* Regis suspicionibus, immisso carnifice, *Boetius* fuit in carcere decollatus anno DXXXIV. *Indicem Operum* *Boe-*

Boetii exhibent *Possavinus* in Apparatu sacro, *Bellarminus*, & *Labbeus* in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis. Observant etiam periti Critici, librum, cui titulus est: de *Disciplina Scholarium*, falso adscriptum esse *Boetio*, quippe qui pluribus ineptiis scatet, sicut eum legenti confessim patebit.

Cassiodorus Senator & *Patricius Romanus* *Theodorico* *Italiæ* Regi carissimus fuit, & ad varias ac primarias dignitates ab ipso evehctus. Plurima scripsit Opera, inter quæ primum obtinent locum *Commentarii in Psalmos*. *Epistolarum libri XII.* *Institutionum Divinarum libri duo.* De *Orthographia ex veteribus Grammaticis excerpta*. *Chronicon* a conditu *Mundi* incipiens & desinens in annum Christi DXXXIX. *Historia Ecclesiastica*, quæ *Tripartita* dicitur, quam ex Græcis Auctoribus *Socrate*, *Sozomene*, ac *Theodoro* per amicum suum *Epiphanium Scholasticum* latine redditus concinnavit. *Liber de Anima*. *Libri XII. de rebus gestis Gothorum*, qui amplius non extant, sed illos *Jornandes* *Ravennæ* Episcopus in Epitomen redegit, quam nunc habemus. Alia Opera edidit *Cassiodorus*, quæ mox deperdita sunt. At *Commentarium* in *Cantica Canticorum* non esse genuinum *Cassiodori* særum luculenter ostendit eruditus *P. Joannes Garecius* *Monachus Benedictinus* *Congreg. S. Mauri* in Præfatione in *Cassiodorum*, cujus Opera in duos Tomos distributa in lucem emisit, una cum vita ejusdem *Cassiodori*, quem Clarissimis parentibus natum *Scyllacii*, quæ urbis *Brutorum* tum erat primaria, eumque anno ætatis suo 60. vel 70. sæculo nuncium remisisse, & *Sancti Benedicti* *Regulam* in Cœnobio prope *Scyllacium* a se constructo professum fuisse, perdocta dissertatione evincit mox laudatus *Garecius*.

Victor Capuanus Episcopus anno DL. *Cyclus* *Pachalem* condidit adversus *Victorem* *Aquitanum*. De quo *Cyelo* egregie edidit *Bucherius* in Opere de *Doctrina Temporum* cap. XI.

Rusticus S. R. E. *Diaconus* *Judicatum* *Vigilii* *Papæ*, quo tria *Capitula* erant proscripita, maximis laudibus primum extulit, at, mutata postmodum sententia, scripsit adversus *Vigilium*. Quapropter a Summo illo Pontifice damnatus, & propter *Schisma* exauctoratus fuit. Scripsit etiam *Rusticus* librum contra *Acephalos*.

Sunt nonnulli, qui *Dacium* *Mediolanensem* Episcopum inter Scriptorum, qui sexto sæculo in Italia flourerunt, reponunt; quia existimant illum esse Auctorem *Chronici rerum Mediolanensium*, quod hæcenus ineditum asservatur in *Bibliotheca* *Mediolanensi*. Verum doctissimus *Mabilionius* tom. 1. vet. *Analect.* pag. 3. recte observat, *Dacium*, qui sexto Ecclesiæ sæculo *Mediolanensi* præfuit Ecclesiæ, non posse esse Auctorem illius *Chronici*, quia in eo narrantur res *Mediolanensis* Ecclesiæ ab octavo sæculo ad tempus *Alexandri II. Papæ*, definitque prædictum *Chronicon* in anno MLXVII. ex quo luculenter constat, illud non fuisse editum a *Dacio*, qui sexto sæculo Ecclesiæ *Mediolanensem* regebat. Cæterum, quamvis *Dacius* non sit Auctor illius *Græf. Hist. Tom. II.*

Chronici, inter viros tamen, qui sexto sæculo in Italia celebres fuerunt, sedem habere debet, quia *Cassiodorus*, vir hujus sæculi, ut mox ostendi, insignis, ad ipsum scripsit Epistolam, quæ libro duodecimo ejus Epistolarum ordine est vicesima septima (a).

„ (a) Alibi in his notis admonuisse succurrit „ *Chronicon*, quod sub *Dacii* nomine ad annum „ usque 1067. perducitur, publici juris factum „ fuisse a *Cl. Muratorio* *Re. Italic.* tom. IV. „ & auctori suo *Landolpho* *Seniori* sæculi XI. „ scriptori restitutum. In eo quidem opere *Landolphus* memorat *Dacii* expositionem *Ordinum* „ *S. Ambrosii*, itemque de *Chrismate*, & de *Antiphona* *Crucis*; sed quænam sint ea, & a „ quonam *Dacio* scripta, cum opera ipsa non extant, plane ignoramus.

Agnellus *Ravennæ* Episcopus *Templa* ab *Arianis* extracta purgavit, & ad verum Dei cultum traduxit, scripsitque Epistolam ad *Arminium* de ratione *Fidei*, quæ extat tom. VIII. *Bibliothecæ* *Patrum*.

Arator natione *Ligur* a *Vigilio* *Papa*, cui apprimè charus fuit, inter *Subdiaconos* Ecclesiæ *Romanæ* sublectus, scripsit carmine heroico *Historiam* *Actuum* *Apostolorum* a *S. Luca* *Evangelista* descriptam, & duobus libris comprehensam, quæ habetur tomo X. *Biblioth. Patrum*.

Paschasius S. R. E. *Diaconus* libros edidit duos de *Spiritu Sancto*, qui inserti sunt tom. VIII. *Biblioth. Patrum*. *Laurentio* *Antipapæ* ex ignorantia favit *Paschasius* contra *Symmachum* legitimum Pontificem, & ob id ejus animam peculiaribus *Purgatorii* pœnis addictam vidit *S. Germanus* *Capuanus* Episcopus.

Dionysius Exiguus natione quidem *Scytha*, sed *Monasterii* *Romani* *Abbas*, ut multi post *Venerabilem* *Bedam* asserunt, Auctor est *Æræ Christi* *siæne*, qua in putandis annis a *Natali* *Christi* *Domini* etiamnum utitur Ecclesiæ *Romana*. At *Dionysius* in consignando initio illius *Æræ* anno quadragesimo quinto Imperii *Augusti*, quadriennio integro a vero *Natali* *Christi* aberravit. *Christus* enim, ut late ostendi in *Tractatu de Mysteriis & Annis Christi*, natus est anno quadragesimo Imperii *Augusti*. Alia Opera lucubravit *Dionysius*, sed præsertim novam *Canonum* *Collectionem* adornavit, quæ statim ab Ecclesiæ *Romana* obviis ulnis excepta est, de qua legendus est doctissimus *Petrus de Marca* *Archiepiscopus* *Parisienensis* cap. 4. lib. 3. de *concordia* *Sacerdotii & imperii*.

Postremo, *S. Gregorius Magnus*, de quo in superiori Colloquio multa jam diximus, patria *Romanus*, *Gordiani* Senatoris, & *Sylvie* filius, splendidissimum fuit *Italiæ* ac totius Ecclesiæ lumen. Ad supremum Pontificatum, invitus quidem anno DXC. evehctus, omnes suas vires & cogitationes ad Ecclesiæ ornamentum, ad Religionis propagationem, & ad omnium Christianarum virtutum contulit incrementum. Mala licet & adversa valetudine diu afflictus, necnon gravi, atque diuturna vexatus podagra, edendis tamen ad Christianorum institutionem libris, qui sanctitatem